datis auctoritas preces adicimus pro eodem, quem sincere diligimus in domino, caritate rogantes quatenus commissum vobis eius negotium sic ad debitum ducatis effectum, quod ipse recognoscat per opera quanti apud nos et mandator extitit et rogator.

Pro dilecto filio R. viro

P quidem note probitatis et probate virtutis domini pape subdiacono et capellano certum ab eodem domino papa recepistis mandatum. Licet autem ei sufficere valeat tanti mandatoris auctoritas, nos tamen adicimus preces nostras affectuose rogantes quatenus id quod pro eodem capellano mandatur sic promptu si placet dignemini prosequi executionis effectum, quod roganti pariter et mandanti nostre sollicitudinis studio satisfiat. Scituri pro certo quod pro capellano predicto rogantes et gerentes debitores simus benefactoribus et ad eorum beneplacita promptius obligamus.

Pro rectoribus pro I.

P iis dilectioni vestre porrectis ea ratione necessitatis et utilitatis preces nostras adicimus quod rivulus modicus maris admiscetur plenitudini ut concrescat.

Sunt qui apud aliquos pro exemplo intercedunt, sed apud nos intercedimus nos pro minori quam pro maiori, quia pro quo dum officium intercessoris assumimus sic nostra geritur quod nostra prosequitur interesse. Pro eo quidem recepistis a domino papa mandatum et licet ei sufficiat tanti mandatoris auctoritas, nos tamen preces nostras adicimus specialis obligationis debitum ipso subire nolentes. Quem si prudentia vestra diligenter advertit cuius geritur utilitas oblata pro eo petitio efficaciam ad exauditionis introibit. Porro Cremona, que dedit originem, non solum vobis sunt eius mores ignoti, non occulta scientia et certa Cremonensis manet ut talem suum alienum relinquet esse alii prodiga perita. Si ergo placet et facile vobis detis auditum et propitias porrigatis manus adiutricem, sic ipsum commendatum sed apostolice assumentes in vestrum et quod vos devotos reputat et nos quo ad gratiarum actiones et retributionis vicissitudinem assumi videamur in ipso alio quem tanto plus note tanto plus confusionis habebit procerto repulsa quanto gravius et quanto facilius exaudiri debebamus in viro.

Pro dilecto nostro I. domino.

P resbitero certum recepistis a domino papa mandatum. Licet ei sufficiat tanti mandatoris auctoritas, preces tamen adicimus pro quo sincera diligimus in domino caritate rogantes commissum vobis eius negotium sic ad debitum perducatis effectum quod ipse recognoscat per opera quanti amoris apud vos et mandator extiterit et rogator.

Lator presentium

L desiderat huius mundi vanitates abiectas et nostro intro monasterio sub regulari habitu domino famulari. Cum igitur talibus teneamini adeo potius quam dece honestate, vestram affectuose rogamus quatenus intuitu dei et nostri amoris obtentu sine difficultate recipiatis eundem, ut deum in premium possitis habere propitium et nos retributores pro posse.

Quoniam a nobilibus existis origine vos diligere nobiles et sic pro ipsis sentibus vobis dirigimus preces nostras et specialiter pro nobili viro quem speciali fovemus affectu. Sane sicut audivimus, illud actum dei nobilis exigit huiusmodi diebus quod nunquam fuit exactum. Quatenus prudentiam vestram rogamus quatenus si hoc decreto ipsi precariam aliquam inferretis molestie quam nostre intercessionis obtentu revocetis illatam.

Lator presentium G.

L atore presentium apud nos commendatis litteris non videntur egere ut forte quem per nos specialiter alii quidam ut tamen affectum exibeam quem habeo erga ipsum exhibendum cum vestre amicicie presensius recommendo affectuose rogans quatenus sic precum meorum obtentu recommendatum habeatis eundem quod recommendato monstretis qualem erga recommendantem habeatis dilectionis affectum.

Quidam propinqui presbiteri

Q A. et A. carissimi nostri mandisse dicuntur in banno ex quo trium librarum tenentur ad penam. Porro cum sperent apud nos invenire remedium, dum intercessionis vestre subsidio supplicaverunt apud nos precum nostrarum interventione iuvari. Cum autem id opus pietatis esse credamus, nobilitatem vestram affectuose rogamus quatenus vel penam relaxetis predictam vel saltem in parte mitigetis, cum sit gravis hec nobis persona multo consilio magnum conari.

Cum dilectus noster

C magister speraret dominum intercessione favorem prevenire, vestram rogamus quatenus sic in suis albis redditibus et aliis negotiis assistatis eidem quod non frustretur spe dominum intercessione concepta et a parte sentiat quod pro eo apud amicum intercedit amicus. Ablatus est ei equus in regno Sicilie, presentium plenius enarrabit. Cum igitur dictus equus iniustus a predicto dicitur R. attente quatenus domino ad eundem iuste pro equi restitutione predicti et aliarum rerum quas ipse perdidit litteras impetretis. Et quia mora periculum adgenerabit te celeri expeditione rogamus.

Carissimum

C arissimum quem intima cordis affectione complectimur, et pro quo vobis presentes litteras presentantur, gratie vestre speciali recommendamus affectu rogantes et pro singulari dono petentes, sic in ducatu et consilio oportuno recommendatum habeatis eundem ut opere sentiat quod pro eo amicum interpellat amicus.

Latendit abbas frater

L ad partes vestras mittere pastores cum gregibus ad pascendum, quos vobis duximus commendandos. Duo quidem sunt que nos inducunt porrigere preces nostras, ordo scilicet et linea parentele; pro ordine deum retributorem habebitis et pro sanguineo nos vestris beneplacitis obligatos.

D urum etiam ut asserit reputat vestrum spalen. esse cum contentiosam habere vobiscum quia quanto maiora de manu vestra recepit tanto maioris nota pudoris obvolvitur si litigat cum factore factum. Optat igitur consistori nostri non declinare iudicium precise et ad minorem